

NORMAE pro tribunalibus interdioecesanis vel regionalibus aut interregionalibus

CAPUT PRIMUM DE TRIBUNALIUM ERECTIONE DECERNENDA

ART. 1

§ 1. Ut causarum iudicialium, praesertim matrimonialium, accurasierit et celerius pertractatio evadat, in Ecclesia habeantur Tribunalia interdioecesana, regionalia vel interregionalia; horum erectio a Supremo Signaturae Apostolicae Tribunal curatur¹, sive ad Episcoporum, etiam Ecclesiarum Orientalium, quorum interest, petitionem, sive etiam, si casus ferat, ad eiusdem Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae decisionem.

§ 2. Erectio, constitutio et ratio procedendi horum Tribunalium reguntur normis quae sequuntur, salvo iure Ecclesiarum Orientalium.

Art. 2

§ 1. Si erectio fiat potentibus Episcopis, oportet ut Episcopi quorum interest, petito et accepto «nihil obstat» Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, decretum erectionis ferant, quod tamen vim non habebit nisi post Sanctae Sedis approbationem.

§ 2. Ad «nihil obstat» petendum oportet ut Episcopi quorum interest, in respectivo coetu adunati, convenienter inter se et ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae referant:

- 1) De rationibus propter quas Tribunalia erigenda statuerunt.
- 2) De iudiciis seu causis pro quibus haec Tribunalia

eriguntur, sc., utrum pro solis causis matrimonialibus, sive nullitatis sive separationis, an etiam pro causis iurium et criminalibus.

3) De numero Tribunalium primae et secundae instantiae erigendorum, clare indicatis dioecesibus (proprio suo nomine «de Curia») pro quarum territorio commune Tribunal primae et secundae instantiae sit constituendum.

4) De sede ac territorio uniuscuiusque Tribunalis, adiecta tabula geographicā, in qua petita sub art, 2, § 2, n. 3, describantur.

§ 3. Quoties agitur de Tribunalibus regionalibus, **coetus**, de quo in § 2, est respectiva Conferentia Episopalis, ac decisio ferenda est per duas saltē ex tribus partibus suffragiorum, ad normam decr. **Christus Dominus**, n. 38, 4;² si vero agitur de Tribunalibus interdioecesanis, quae regionalia non sunt, **coetus** intelligitur conventus Episcoporum quorum interest, qui quidem unanimes quoad singula puncta supra indicata esse debent.

§ 4. In litteris executorialiis decreti erectionis, de quo in art, 2, § 1, mentio fiat de Sanctae Sedis approbatione.

Art. 3

Si erectio fiat promovente ac decidente Signatura Apostolica, haec secundum suum stylum et proxim procedit.

1. «Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae tribunalium regionalium vel Interregionalium erectionem curat» (Paulus VI,

Const. Apost. Regimini Ecclesiae Universae, 15 aug. 1967, n. 105, in A. A. S. 59 [1967], 921).

2. A. A. S. 58 (1966), p. 693.

**CAPUT SECUNDUM
DE TRIBUNALIUM MODERATORE, IUDICIBUS ET ADMINISTRIS**

Art. 4

Tribunal interdioecesanum, regionale, interregionale subest auctoritati Episcopi Dioecesani loci in quo situm est, vel, si sedes episcopalibus vacet, Episcopi senioris respectivae circumscriptionis. Qui Episcopus, utpote Moderator Tribunalis, idem regit nomine omnium Episcoporum pro quorum territorio est constitutum, eique omnia iura et officia attribuuntur quae Ordinariis locorum circa proprium tribunal competunt ad normam sacrorum canonum, necnon ad causas nullitatis matrimonii quod attinet, ad normam Instructionis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, **Provida Mater**, diei 15 augusti 1936, nisi aliud peculiariter caustum sit, vel subiecta materia aperte exigat.

Art. 5

§ 1. Officialis, Iudices, Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi, necnon eorum Substituti, constituuntur ad maiorem partem absolutan suffragiorum, quae conferantur oportet in coetu communi Episcoporum respectivae circumscriptionis territorii, pro quo tribunal est erectum.

§ 2. Ceteri ministri a Moderatori Tribunalis constituuntur ad normam iuris communis.

§ 3. Officialis, Iudicium, Promotoris Iustitiae et Defensoris Vinculi nominatio nota fiat Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae.

Art. 6

Omnis praedicti:

1. sint dignitate sacerdotali aucti, integritate morum praestantes et, saltem ad Iudices quod attinet, laurea in iure canonico praediti;
2. scientia et experientia judiciali vere polleant;
3. debitum tempus impendere valeant muneri sibi collato rite obeundo.

Art. 11

In causis pertractandis accurate serventur Iuris praescripta, his tamen additis vel mutatis quae infra statuantur.

Art. 7

Iudem iusiurandum de officio rite fideliterque implendo praestare tenentur coram Moderatori vel eius delegato.

Art. 8

§ 1. Officialis, Iudices, Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi (necnon eorum Substituti, nisi per modum actus sint deputati) removeri nequeunt ab officio nisi gravi de causa et a respectivo coetu communi Episcoporum, eodem modo quo constituti sunt.

§ 2. In casu tamen urgentis necessitatis ipse Moderator Tribunalis eos suspendere potest, sed de eorundem remotione ac substitutione provideatur iuxta art. 5, § 1, harum Normarum.

§ 3. De remotione autem semper edocenda est Signatura Apostolica.

Art. 9

§ 1. Nemo iudicis munere fungi poterit qui advocati vel procuratoris munus in eodem Tribunali exercuerit aut in quolibet Tribunalis actu exerceat, sive directe sive per interpositam personam.

§ 2. Idem valet quoque de Promotore Iustitiae et Defensore Vinculi.

§ 3. Omnes de quibus in art. 8 districte vetantur in quaslibet causas extra munus suum se quomodo libet ingerere.

Art. 10

Moderator Tribunalis collatis consiliis cum ceteris Episcopis respectivae circumscriptionis territorii, albus conficiat advocatorum et procuratorum; de quibus servanda sunt praescripta can. 1655-1666, Itemque si iidem munus exercere debeant in causis nullitatis matrimonii, praescripta art. 47, § 4; 48, §§ 2-4; 53, § 2 praefatae Instructionis **Provida Mater**.

**CAPUT TERTIUM
DE MODO PROCEDENDI IN CAUSIS PERTRACTANDIS**

Art. 12

Libellus porrigatur Moderatori Tribunalis competentis.

Art. 13

Causae ita inscribantur: primum ponatur nomen Tribunalis, videlicet regionalis vel interdioecesani vel interregionalis, dein nomen dioecesis a cuius Tribunalis causa pertractanda fuisse in prima instantia ad normam iuris communis; postremo titulus causae; ex. gr. Florentina seu Pistorien. Nullitatis matrimonii (N. N.); Lugdunen. seu Gratianopolitan. Nullitatis matrimonii (N. N.).

Art. 14

§ 1. Moderatoris Tribunalis erit tutorem vel curatorem admittere aut designare ad normam can. 1648 et 1651 et salvo praescripto art. 78, § 3, praefatae Instructionis **Provida Mater**.

§ 2. Quoad procuratorem, autem, minorum servetur praescriptum can. 1648, § 3.

§ 3. Idem tamen Moderator de his decernet collatis

consiliis cum Ordinario partis cui tutor vel curator vel procurator constituendus est.

Art. 15

Ordinarius loci de quo fit sermo in art. 37-41 Instructionis **Provida Mater** intelligendus est Ordinarius domicilii coniugum; qui quidem antequam proprium ferat, oportune cum moderatore tribunalis aget.

Art. 16

§ 1. In casibus exceptis, de quibus can. 1990-1992, quaelibet petitio remittatur ad Moderatorem Tribunalis, qui, praehabito voto Episcopi domicilii coniugum, de eadem videat ad normam art. 226-231 superius citatae Instructionis **Provida Mater**.

§ 2. Itemque, Officialis de quo in art. 228 est Officialis eiusdem tribunalis.

CAPUT QUARTUM**DE MINISTRORUM TRIBUNALIUM ET ADVOCATORUM AC PROCURATORUM REMUNERATIONE, NECNON DE TAXIS ET EXPENSIS IUDICIALIBUS****Art. 17**

Iudicum et ministrorum remuneratio determinetur in coetu Episcoporum respectivae circumscriptionis territorialis, probe consideratis munerum, locorum temporumque adjunctis et causarum numero.

Art. 18

§ 1. Eodem modo et luxta eandem normam praestitutatur notula cum taxarum et expensarum iudicialium, tum emolumentorum ad advocatos et procuratores spectantium.

§ 2. Eiusmodi autem notula litigantibus distincte notificari debet inde ab exhibito libello litis introductorio.

Art. 19

Quoties gratuitum vel semigratuitum patrocinium concessum fuerit, onus solvendi expensas devolvitur ad fundum constituendum a respectivo coetu Episcoporum.

Art. 20

In eodem coetu decidendum erit qua mensura seu proportione unaquaque dioecesis relativis Tribunalibus primae et secundae instantiae opem feret, tum idoneos sacerdotes ad munera iudicium et administrorum suppeditando, tum pecuniariam contributionem solvendo, ex qua et ex Tribunalium introitibus stipendia personarum ac uniuscuiusque Tribunalis sumptus solvi possint.

CAPUT QUINTUM**NORMAE TEMPORANEAES SEU TRANSITORIAE****Art. 21**

Decretum, quo constituuntur Tribunalia interdioecesana vel regionalia aut interregionalia, sive primae sive secundae instantiae, a Sancta Sede approbatum, per Praesidem Conferentiae Episcopalis executioni quamprimum mandetur, die ab eodem statuenda.

Art. 22

Quod attinet ad causas die executionis decreti pendentes apud Tribunalia dioecesana ordinaria respectivae circumscriptionis territorialis, haec serventur:

1. Causae quae agitantur in prima instantia, deferrantur ad novum Tribunal primae instantiae si dubia

nondum fuerint concordata ad normam iuris communis; deferri vero eidem possunt quae nullitatem matrimonii respiciunt et in phasi instructoria versantur, accedente consensu utriusque coniugis et Defensoris vinculi.

Sin autem iam editum sit praefatum decretum conclusionis in causa, sententia definitiva proferri debet a Tribunali apud quod causa introducta est.

In utroque casu appellatio interponatur apud novum Tribunal appellationis, salva tamen facultate de qua in can. 1599, § 1, n. 1.

2. Idem fiat, congrua congruis referendo, in causis quae agitantur in gradu appellationis.

Praesentes Normae suos plenarios et integros effectus obtinebunt a festo Annuntiationis B. M. V., id est a die XXV martii anni MCMLXXI.

Datum Romae, in Sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die XXVIII decembris MCMLXX.

Dinus Card. Staffa, **Praefectus**
Ioannes M. Pinna, a **Secretis**